

De trevis factis inter Dominum Patriarcham, & Comitem & D. Rizardum de Camino & Castellanos.

Anno prædicto die V. exeunte Majo, factæ fuerunt trevæ inter Rev. Patrem D. Ottobonum, Dei gratia Aquilegiensem Patriarcham ex parte una; & Nobiles Viros DD. Henricum Comitem Goriciæ, & Rizardum de Camino, cum Castellanis faventibus eis ex parte altera, usque ad Festum S. Martini, certis pactis sub pœna duarum mille Marcarum.

De recuperatione Sacili.

Anno Domini M. CCC. VI. in Festo BB. Martirum Gervasii & Prothasii rehabuit Rev. D. Ottobonus Dei gratia Aquilegiensis Patriarcha Sacilum in aurora diei.

De introitu Sororum in Monasterium S. Clare Utini.

Anno M. CCC. VI. die XI. intrante Decembri, Rev. Pater D. Ottobonus, Dei gratia Sedis Aquilegiensis Patriarcha, consecravit Majus Altare prædicti Monasterii ædificati, & facti per Ucllutum de Utino, & dotati amore Dei & pro fuorum remissione peccatorum. Et eodem die primo inclulit ibi quatuor Sorores, scilicet duas quæ receptæ fuerant de Monasterio S. Clare de Civitate, & duas de Monasterio Glemonæ.

Qualiter illi de Zuccula intraverunt, & exierunt de Civitate.

Anno Domini M. CCC. VIII. die XIV. intrante Majo, post prandium, hora dormitionis, Nobiles Viri DD. Henricus de Prampergo, & Odolricus de Cucanea venerunt in subsidium DD. Valteripertoldi & Bernardi Fratrum, filiorum quondam D. Johannis de Zuccula: & cum apparatu factis magno intraverunt Civitatem hoc modo. Jacobus, filius quondam D. Odolrici de Budrio, & Pertoldus de Fagedis, cum quibusdam aliis eis faventibus, ceperunt hora prædicta portam S. Silvestri, percussis Custodibus, qui videntes quod futurum erat, volebant ferrare. Et statim ascenderunt domum de Portis: & factis signis cum gladiis primo super portam S. Silvestri, intraverunt quidam, qui erant in burgo S. Silvestri, de familia D. Pauli Boyani, qui erat in inimicitii illorum de Terra, & stabat Zucculæ. Deinde desuper turrim de Portis: & videntibus illis de Zuccula, sicut antea tractatum erat, cum magno impetu descenderunt, & intraverunt Terram. Cum vero fuerunt in Terra, D. Valterus-pertoldus cum Paulo Boyano, & cum VIII. vel decem hominibus iverunt per infra muros apud Solarium: & ibi ballistatus fuit D. Candidus de Canussio. Et cum nullus traheret se prope eos, ut forsan credebant, per eandem viam redierunt ad suos. Apud domum D. Odolrici Longi factum erat quoddam obstaculum: & ibi nostri cum eis se ballistabant. Et de domibus & turri Philippi, & Luvinii fiebat magna defensio cum lapidibus: nec ulterius fuerunt permitti transire, excepto D. Odolrico de Cucanea, qui cum Thomasuto ejus familiari de Cucanea, qui banderam portabat, & forsan sex vel octo aliis. Cum impetu venerunt ad forum: & ibidem Thomasutus prædictus fuit occisus, dimissa bandera. Et D. Odolricus rediit cum aliis ad suos per Præposituram. Fratres Prædicatores composuerunt inter partes, facientes trevas, ad hoc ut recederent: & illi scientes per Nuncium, qui venit de Zuccula, qui eis denunciavit

quod nobis veniebat subsidium de Utino, acceperunt trevas, & recesserunt cum magno damno equorum. Et etiam multi ex eis fuerunt cum ballistis, & lapidibus de tectis vulnerati, unde obierunt. Sed nullus remansit in Civitate mortuus, nisi solus Thomasius supradictus. Sequenti vero nocte, acceperunt equos de..... Die vero prædicta, statim Dominus Patriarcha misit gentem suam Civitatem: & sequenti die, & aliis diebus projectæ fuerunt ad terram domus prædictorum Dominorum de Zuccula: & acceptum fuit quod erat intus, & Mater ipsorum Dominorum inde ejecta, & ivit Zucculam cum suis Domicellabus. Domus D. Walframi, IV. domus Pauli Boyani, domus Jaconoeti filii quondam Bunini de Venzono qui fuit cum eis, & turris D. Henrici de Prampergo fuerunt dirutæ. Domus quondam D. Odolrici de Budrio non fuit projecta ad terram, ideo quia pertinebat ad Matrem Jacobi: tamen quidquid intus repertum fuit, fuit acceptum. Insuper quia Simon, filius Henrici D. Warretæ, fuit cum eis, acceptum fuit illud quod Mater habebat in domo, absente Henrico a Civitate. Et etiam quia Philippus, filius D. Conradi quondam D. Philippi, fuit cum eis, habitus fuit suspectus ipse D. Conradus: & per familiares Domini de Seleso, Castaldionem, & Consilium fuit citatus, qui statim comparuit, & dixit quia ille filius suus non erat in gratia sua, nec stabat cum eo. Accepta vero ejus excusa, tamen habere voluerunt domum ejus, quæ est eundo Zucculam: & ibidem suam custodiam Civitatenfes posuerunt. Dominus vero Patriarcha misit pro ipso Conraducio Utinum, qui statim fuit, & apud ipsum Dominum stetit per aliquot dies. Videns ergo Dominus ipsum inculpabilem, remisit Civitatem; mandans Communi, quod sibi domum suam redderent, accepta ab eo bona securitate, quod illam inimicis non daret, nec eis favorem vel auxilium impenderet: quod & factum est.

De Gronumberch.

Anno prædicto, die penultima Maii, illi de Zuccula furive acceperunt Gronumberch ante diem: & ibidem ipsis existentibus, multa mala fecerunt. Qualiter restitutum fuit illis de Portis, inferius dicitur.

Qualiter D. Ottobonus Patriarcha destruxit muros de Venzono.

Anno Domini M. CCC. IV. die IX. Februarii Rev. Pater D. Ottobonus Patriarcha fuit Glemonæ: & eodem die Nobilis Vir D. Conradus de Stumberch venit sibi in auxilium. Et XI. die dicti Mensis, suadentibus illis de Glemona, & eorum inductu, voluit Dominus Patriarcha obsidere Venzonum. Sed videntibus, quod sibi non poterant resistere, dederunt sibi C. libras grossorum: & murum ipsius Venzoni diruerunt; & juraverunt deinceps suis parere mandatis.

De obsidione Gramolani, & Zucculæ.

Anno prædicto dictus Dominus Patriarcha cum exercitu suo equitavit die XIV. dicti Mensis ante Grammolanum, & ibidem illo sero pernoctavit: & combussit, & destruxit omnia usque ad Castrum. Die sequenti, & eodem die post prandium, ipso die Sabbati, venit Civitatem: & statim ipso die obsedit Zucculam cum gente sua, & Civitatem propter discordiam superius expressam: & roncaverunt omnia bona illius de Zuccula in ipso monte Zucculæ.

Et